

ORIGENIS
COMMENTARIUM IN CANT.
CANTICORUM

PROLOGUS.

5 Epithalamium libellus hic, id est nuptiale carmen, dramatis in
modum mihi videtur a Solomone conscriptus, quem cecinit instar nu-
bentis sponsae et erga sponsum suum, qui est sermo Dei, caelesti amore
flagrantis. Adamavit enim eum sive anima, quae ad imaginem eius
facta est, sive ecclesia. Sed et magnificus hic ipse ac perfectus spon-
10 sus quibus verbis usus sit ad coniunctam sibi animam vel ecclesiam,
haec ipsa scriptura nos edocet. Sodales quoque sponsae adolescentulae
cum sponsa positae quae dixerint, quaeque etiam amici ac sodales sponsi, ^{288 Lomm.}
ex eodem nihilominus libello, quod Canticum Canticorum attitulatur,
agnoscimus. Possibilitas enim data est etiam ipsis amicis sponsi ali-
15 qua dicere, ea dumtaxat, quae ab ipso audierant sponso, laetantes de
coniunctione sponsae. Fit ergo sermo ab sponsa non solum ad spon-
sum, sed etiam ad adolescentulas, et rursus sponsi sermo non tantum-
modo ad sponsam, sed etiam ad amicos dirigitur sponsi. Et hoc est,
quod supra diximus, carmen nuptiale in modum dramatis esse con-
20 scriptum. Drama enim dicitur, ut in scaenis agi fabula solet, ubi di-
versae personae introducuntur et aliis accedentibus, aliis etiam dis-
cedentibus a diversis et ad diversos textus narrationis expletur. Quae
singula suo ordine scriptura haec continet totumque eius corpus mysti-

Der Titel in fast jeder HS verschieden überliefert 5 hic < D | dramatis
hinter videtur Z. 6 CD, vgl. S. 63, 4 6 ~ videtur mihi A, vgl. S. 77, 1 |
cecinerit A, richtig? | instar < AC 6f nubenti AC 8 flagranti AC
13 libro BD, Del., vgl. Z. 5 S. 62, 31 | qui BD, Del. für die Attractio vgl.
z. B. Bd. II S. 424, 5 u. S. 615